IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 121r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



121

Qui es rex cuius arbitrio
et creata sunt et administrantur universa rex dico
specialiter israel .i. eorum qui te puro corde respiciunt
intende desiderio et petitioni sanctorum qui aduentum tuum deside-
rant qui deducis per apostolos populum credentem de gentibus significa-
tum per ioseph ad caulas dei tanquam oues ad pascua
Qui sedes super illas sublimes potestates celorum appare in mundo
forma nostre mortalitatis assumpta videant te populi qui per istas
tribus effraim beniamin et manassen designantur
Excita potentiam tuam et ueni .i. manifestus in filio tuo
qui est uirtus tua per incarnationem eius ut saluos facias
nos de potestate dyaboli
O deus uirtutum conuerte nos auersos a te aliter non conuer-
temur nisi tu facias qui solus potens es qui uis universa
complere et ostende filium tuum et salui erimus
Domine deus uirtutum celestium quousque te iratum ostendis
michi seruo tuo ad te oranti differendo mittere filium
per cuius aduentum tociens te rogaui
Quousque Cibabis nos pane lacrimarum .i. permittis nos
affligi tot tribulationibus et doloribus lacrimosis quia
uir sanctus ipsis suis lacrimis et reficitur sciens tribulationem
quam patitur uel propter exercitium uel propter remissionem peccatorum
dari sequitur potum dabis nobis in lacrimis que ratione
predicta sanctis viris sunt potus et refectio que lacrime erunt
in mensura .s. equales sustinere possumus quia omnipotens
deus consulens fragilitati nostre modificat et quadam mensura
temperat flagella sua
Posuisti nos in contradictionem gentibus vicinis nostris quia
nobis colentibus et predicantibus te deum verum contradicitur
ab eis multitudine simulacrorum suorum et inimici nostri irri-
dent nos quasi frustra sperantes ut salui fiamus
Sed contra istos Deus uirtutum conuerte nos totos ut te
corde diligamus et ostende presentiam filii tui et salui erimus